

*Privilegio col quale Federico II  
concede a Folco Ruffo, nipote di  
Pietro Ruffo conte di Catanzaro  
la terra di Santa Cristina  
(d'Aspromonte) e il casale di Placanica.*

Basilicata University Press

—

*Digital Humanities*

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Privilegio col quale Federico II  
concede a Folco Ruffo, nipote di  
Pietro Ruffo conte di Catanzaro  
la terra di Santa Cristina  
(d'Aspromonte) e il casale di Placanica.*

1250-11-07

Federicus Dei gratia romanorum Imperator semper  
augustus, Ierusalem, et Siciliae rex. Augetur erga  
excellentiam nostram, nostrorum fides et devotio  
subiectorum, cum benemeritis fidelibus nostris congruis  
beneficiorum largitionibus providemus..

Per praesens igitur privilegium notum fieri volumus  
universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris,  
quod nos attendentes puram fidem et devotionem  
sinceram, quam Fulco Ruffus, nepos Petri de  
Calabria marescalis nostri magistri, fidelis noster, erga  
excellentiam nostram habet, considerantes quoque grata  
et accepta servitia que culmini nostro semper exhibuit,  
et exhibere maiora poterit in futurum, Terram Sancte  
Christine et Casale Placanice que fuerunt quondam  
magistri Theodori philosophi ad manus Curie nostre  
rationabiliter devoluta cum omnibus iusticiis, pertinentis  
et omnibus rationibus suis, prout ea dictus magister  
Theodorus melius et plenius tenuit, quoad vixit  
videlicet de demanio in demanium, et que de servitio  
in servitium, eidem Fulconi et haeredibus suis in  
perpetuum de gratia nostra, et ex certa scientia duximus  
concedenda. Ita tamen quod tam ipse quam heredes  
ipsius ea a nobis et heredibus nostris teneant immediate,  
et etiam recognoscant, ac de eis debita, et consueta  
servitia prestare teneantur, viventes inde iure Francorum,  
videlicet quod maior natu exclusis aliis minoribus  
fratribus, et cohaeredibus succedat in eis inter eos nullo  
tempore dividendis

Ad huius autem nostrae concessionis memoriam et  
stabilem firmitatem praesens privilegium per Nicolaum  
de Brundisio notarium, et fidelem nostrum scribi et  
maiestatis nostrae sigillo iussimus communiri

Datum Fogie anno dominicae incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo, mense novembris, nonae indictionis, imperante domino nostro Federico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Ierusalem, et Siciliae rege. Anno imperiis eius trigesimo secundo, regni Ierusalem vigesimo octavo, regni vero Siciliae quinquagesimo primo; feliciter amen

Extat antiquum sigillum pendentes in cera crocea et laqueo serico cum impressione effigi predicti Imperatoris Federici sedentis in trono maiestatis

Fidem facio † Ego Ioannes Antonius Iordanus notarius de Neapoli supradicta copia extracta esse a suo proprio originali privilegio ut supra firmato et signato et facta collatione concordat, tamen semper salva per signatum regio sigillo et originalis Domine Marie Ruffe Principisse supradicte, ac Comitisse Sinopoli et Nicotera

Adest sigillum